

jo; id vero quod durum ac solidum intus per corporis prona continetur, *ξιφος*, seu gladiolum dici. Differunt a Sepia, quod alveum, quem Aristoteles *καλιάν*, Athenaeus *ζωμότιον* vocat, longiorem habeat: & bina quidem conceptacula gerat, quae ventris ferunt speciem, sed alterum minus ingluviem imitetur et tactu discrepet, quoniam et Corpus totum carne molliore constat. Quin et praeter atramentum, quod prope mutim habet, gerit et succum purpurascentem, *ὠχρον* Athenaeus vocat, Oppianus *ὀπρευθρον*, Gladiolus autem, quem Athenaeus *ὀσσεον* dixit, cartilagineus est, pellucidus, et ab una parte cultrum, ab altera calamum referens.

Oppian.  
Hal. l. 3.

Aldrov. de  
Mol. l. 1. c. 6.  
Descriptio.  
Bellon. de  
Piscib. l. 2.

Aldrovandus crystalli instar splendidum depinxit. Peculiarem descriptionem si attendas, Teuthos, describente Bellonio ipsa quidem Loligine major est, ut cubitorum interdum quinque esse, inquit Aristoteles. Exteriore quoque corporis nota aliquantulum a Loligine discernitur. Pars enim Lolii, quae exit in acutum, in Loligine latior est. Quin etiam pinnulae totum Lolium ambiunt, junctae perpetuaeque, quae alioquin in Loligine partem aliquam relinquunt. Minus autem accedit ad Polypum quam Sepia. Nam corpus ei oblongum est, cartilagineum, duabus pellibus obductum: *gladium* arctiorem et magis cartilaginofum in tergore continens, translucidum vitri modo, tenui theca inclusum: rostrum aquilinum, psittaci figura. Sed eodem modo *atramentum* quo Sepia emittit, et cirros octonos habet, breves tamen: in quibus tot *acetabula* conspicies, quot in Sepiis. Ac praeter illos octonos duo quoque longa flagella, seu promuscides, multis in extremo acetabulis circumfessa videbis. Haec acetabula praeter Sepiarum et Polyporum morem, tribus introrsum osseis aculeis robustis, in gyrum munita sunt. Latas in gyrum diffundit pinnae: a cujus ore

corneo gula praetenditur angusta, et usque ad stomachum longa, quem habet amplissimum, atque adeo ingluviem, quae hunc praecedat. *Loliginis minoris* descriptionem, quae fere nihil ab ista differt, vide apud eundem.

Reperiuntur in profundo mari, etiam prope † Euboeam, quin et in Ponto, in quo nulla Sepia. In nostro mari, inquit Plinius, quinum \* cubitorum capiuntur. *Vicitant* piscibus: nec a Cancris, Paguris et Astacis abstinent; diligenterque, quicquid in stomachum dimiserint, rostro, quod robustissimum habent, atterunt.

Locus.  
\* Arist. de  
part. l. 4. c. 4.  
\* Athen. l. 7.  
Dipn.  
\* Plin. H. N.  
l. 9. c. 15.  
Idem l. 9.  
c. 30.  
Victus.

De Coitu idem in Loliginibus occurrit, quod in Sepiis diximus. Pariunt in alto, et conferta ova edunt. Apparent haec gemina, quod vulva earum ita articulata sit, ut bifida cernatur. Neque his bimatu \* longior vita. Mas a foemina differt, quod intus meatus duos habeat, quibus mas caret, sicuti in Sepiis evenit. Non tantum suis pinnaculis natant, † sed etiam iisdem extra aquam se efferentes volitant: et saepe tanta multitudine, ut, quod ex Trebio Nigro Plinius prodidit, navigia quoque demergant. Dum volitant tempestatem praenunciant, quod caro ipsarum nuda et glabra, frigoris quoque sit impatiens, ut Plutarchus prodidit.

Generatio.  
Plin. l. 9. c. 5.  
Arist. de gener. l. 3. c. 8.

\* Plin. H. N.  
l. 9. c. 3.

\* Plin. H. N.  
l. 9. c. 29.

Plut. qu. natur. 18.

Ufus Loliginum ut olim in Cibis fuit, sic nunc est. In coena lauta appositos Pherecrates apud Athenaeum testatur: Scholiastes Aristophanis, et Suidas inter viles reponunt. Praeferuntur gravidae, et quas Ambraeia dedit, Romae mensibus frigidis laudantur. Et assarum, et in sartagine coctarum, Athenaeus meminit. Antiphanes farcta delectatur. De terius jus sine atramento confici opinantur. Quomodo sapidiores reddantur, vide Aldrovandum. In *Medicina*, stomachicis convenire in cibo apud Galenum legimus. Torminosis affatas prodesse Marcellus Empiricus prodidit.

Ufus.

Galen. de  
Comp. sec.  
gen. l. 1.

